19bis

DE PATELLÆ FRACTURÂ THESES ANATOMICO-CHIRURGICÆ,

Quas, Deo juvante, & Præside M. Petro-Michaele Allouel, Artium & Chirurgiæ Magistro, Doctore-Medico Remensi, Regiæ Chirurgiæ Academiæ Socio, nec-non Regii Præsidii Nosocomiorum que in arce Monæci nuper Medico; tueri conabitur Franciscus-Mathæus Didier de Lonroy, Parisinus, Artium in almâ Universitate Parisiensi Magister, & in Duaci Nosocomio Militari nuper Adjutor-Chirurgus.

PARISIIS,

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS.

Die Veneris Vigesima primâ Julii à sesqui-secundâ post meridiem ad septimam.

PRO ACTU PUBLICO

ET


MAGISTERII LAUREA.

Natus honorando datque dicatque Patri.



D. O. M.

THESES ANATOMICO-CHIRURGICÆ.



DE PATELLÆ FRACTURÂ.



UTRUM fracta Patella callo obducatur, & ut alia ossa coalescat Authores inter se dissentiunt : annuunt alii, alii renuunt, aut etiam, cum fracturæ ossis axi parallelæ coalitionem concedant, transversæ coadunationem prorsùs negant. Patellam ipsam & utriusque fracturæ discrimen attentè perpendenti minimè profectò arridebit horum sententia.

Omnia ossa sensìm & gradatìm indurescunt : quod in omnibus, idem accidit in Patellâ : at ubi ossa fracta fuerunt, naturâ & arte ministrâ

divisæ partes in unum coguntur : cùr ergò Patella cujus structura eadem est ac cæterorum ossium, quæ iisdem succis nutritur, Conglutinationi resisteret ? Cum aliundè transversæ fracturæ coalitio ideò tantùm difficilis & ardua videatur quòd fragmenta à se dimoveantur invicem, & ægrè admodùm in mutuo contactu remaneant, si recentiorum observatis & felicioris praxeos usu huic incommodo prævideatur, nonnè meritò *transversam* sicut & *longitudinalem* fracturam Coalescere dici potest ?

Patella ante Femoris Condylos sita jacet : facies anterior convexa rugosaque videtur ; posterior concava, lævigata, & cartilagine, ut potè articularis, obducta : hæc lineâ prominenti quæ à basi ad Mucronem extensa, cavitati Trochleæ inseritur, in duas dividitur partes quæ Femoris Condylis correspondent : externa latior, longior est interna.

Mucroni inferiori & obtuso alligatur latum validissimumque ligamentum nonnullis sæpè tendinum fibris firmatum, quo tibiæ tuberositati fortitèr vincitur Patella.

Connectitur, ut modò dictum, cum tibiâ ope ligamenti memorati, cum Femore verò facie posteriori : pars Femoris huic correspondens Trochleam efformat quæ obliquè parum descendit & infrà latior quàm suprà patet. Femoris enim Condyli primo ortu minùs à se distant, posteà sensìm hinc & indè diffugiunt, undè inferiùs & posteriùs multùm divaricantur. Latior est externus, longior internus, & sic levibus posterioris Patellæ faciei cavitatibus adaptantur.

Patellæ usus hi sunt : ut Musculis tibiæ extensoribus insertionem præbeat ; ut eorum directionis linea à centro motus articulationis longiùs distet, ac proindè facilior evadat actio, nec comprimi vel obteri possit tendo communis. Inde Patella cum Olecranio ità conferri potest ut dicatur Olecranium mobile, Olecraniumque vicissìm Rotula immobilis. Sic benè provida Natura instituit ut, Olecranio immobili, tutiùs firmaretur cubiti articulatio, Patellâ verò mobili, crus jam flexum intùs & extùs semi-Rotatione ferri posset.

Fractura Græcis κατᾶγμα dicitur solutio continui in osse à causâ externâ, violentâ & contundente producta.

Vel in longum, vel obliquè, vel transversè, vel in fragmenta rumpi Patella solet : simplex erit vel complicata fractura pro causarum, Accidentium & Symptomatum varietate.

Causæ sunt ictus, lapsus, & corpora quævis contundentia in Patellam graviter impacta : sed hoc habet peculiare Rotula, quòd solâ vi Musculorum frangi possit : ubi enim instat lapsus, imminens ut vitetur periculum, subitò motu *Automatico* corpus in contrarium retrahitur : fortitèr ac repentè contrahuntur Musculi tibiæ extensores, & ita Rotula hinc ligamento resistente firmitèr retenta, indè contractione Musculari violentèr sursùm abrepta, transversè rumpitur.

Quæ ita fit fractura, facilè dignoscitur : cum sursùm attrahatur pars superior, fragmentorum statìm intervallum sentitur ; quæ alitèr, motu partium fractarum, crepitatione, & quandoquè etiam intervallo fragmentorum distinguitur.

Pro variis fracturarum speciebus, varia prognosis. Transversa plùs minùsve periculi secum trahit pro dimotione partium, pro fragmentorum magnitudine, pro causis & accidentibus. Quæ fit secundùm ossis axim (cæteris paribus) faciliùs Coalescet : de obliquæ consolidatione majus oritur dubium : in multa verò frusta divisam ægrè admodùm coadunari posse contendimus.

Fortè nullus è morbis frequentiùs & infeliciùs industriam, quàm Patellæ fractura suscitavit : nec mirum. Dum enim hinc à plurimis negatur hujus ossis Coalitio, dum indè innumeri propè ex ipso morbo exurgunt obices superandi, anceps & dubius inter varia curandi media Chirurgus modò hùc confugit, modò illùc, quid faciat incertus. Nos autem, ut ut fit, varias hùc usque usurpatas curandi methodos percurremus, ac deindè unientis fasciæ haud ita pridem excogitatæ usum proponemus.

Ut fracturam reducant aliis alii mediis utuntur. Quidam crure jàm extenso adversus aliquid fixum Plantâ pedem insistere cogunt, tùm pollicum ope successivâ superiorem Rotulæ partem in sedem suam paulatìm repellunt.

Alii suram pulvinum supra ponunt ita ut, alto pede, corpus & crura apertum angulum effingant.

Ægro supino decumbente, ait Heisterus, *pedeque extenso*, *manibus fragmenta solertèr compellentur*, *&c.*

Crure jam extenso, ad angulum usque rectum inferior extremitas trunco inflectatur nuperrimè præcepit M. Valentin, Artis nostræ peritus.

Non alium situm, non aliam curationem, quàm in fracturâ tibiæ, commendant quidam Authores.

Utilior erit positio quâ Musculi cruris maximè relaxantur : Supina igitùr valdè congruit : tùm crus sit altius Femore, crure pes altior. Corpus omne mollitèr & inertè recumbat, imò præcaveatur sedulò ne motus ullos edat inconsultos æger.

Nec profectò satis est si partes fractæ apprimè coaptatæ fuerint & in sedem suam repositæ ; eas in mutuo contactu retinere hoc opus, hic labor. Ut verò reducta Patellæ fractura contineatur, varia itidem celebrantur media.

Quæ, tibiâ fractâ, usurpatur, eam aliqui fasciam proposuerunt.

Fracturæ longitudinali, *fascia uniens ad vincienda ventris ac frontis longiora vulnera proposita*, *adaptetur*, ait Heisterus; *in transversâ emplastris vel lunatis*, *vel perforatis utendum.*

M. Petit & alii usum *fasciationis*, quæ ex circumvolutionibus dicitur vernaculè (*bandage en huit de chiffre*) commendant : volutata lunataque duo addunt Spleniola infra & supra partes fractas apponenda ; tum supra Patellam & secundùm cruris axim applicatur emplastrum longius in quatuor capita divisum. Posteà longior apponitur tænia, ac demùm superiora emplastri capita inferiùs, inferiora superiùs retrahuntur, ita ut ad constringendum apparatum & partes approximandas purimùm valeant : denique advocant Palearia, gallicè *fanons*.

In magno Parisiensi Nosocomio eadem celebratur *fasciatio.* Curvatorum spleniorum loco circulum è corio factum applicant: circuli vacuum implent reductæ Patellæ partes.

M. verò Valentin, quem situm angularem ad repositionem præcepisse diximus, nihil aliud ad perficiendam curationem jubet, quàm ut ille situs, appositâ soleâ, & substratis pulvinaribus, per totum curationis curriculum servetur.

Ex hoc opinionum, tùm de situ, tùm de mediis ad reponendam & continendam fracturam idoneis, conflictu, facilè probatur, quàm difficilis hùc usque visa fuerit perfecta hujus fracturæ sanatio. Sed quò majores insurgunt obices, eò sagacior excitari debet Chirurgi industria. Quod igitùr usu melius & ad curationem aptius videbitur, indicabimus.

Partes quaslibet fractas fasciâ continendas Authores unà consentiunt. *Retentio in situ fit fasciis, spleniis, ferulis, canalibus, quietem conciliando, tùm impediendo & dirigendo actionem musculorum*; ait Boerh. Idem in Patellæ fracturâ fiat, nec jam de perfectâ curatione desperetur.

Ac primò quidem *ægro supino decumbente*, crus & pes paululùm tollantur: Sic impedietur actio Musculorum nocua: in maximâ extensione crus collocetur: tùm, si nulla adsunt graviora accidentia, digitorum ope, pars superior fractæ Patellæ, sensìm sine sensu ad inferiorem usque, ita deducatur, ut accuratè vitetur seu ligamenti seu Aponevroseos interpositio; ex hâc enim non dolores modò acutissimi, sed perfectæ Coalitioni obstaculum orirentur. Sin autem fractas partes immediato & mutuo contactu sibi invicem applicari sensu quodam crepitationis innotescat, ea cautio adhibeatur, ut Patella è suâ sedè, ut ita dicam, dimota, anteriùs quam maximè promineat, ac deindè celebrabitur fascia uniens inferiùs describenda; quæ quidem modò latiùs modò firmiùs pro tumefactione, inflammatione, &c. constringetur.

Si vero graviora accidentia primo instanti repositionem & unientis fasciæ usum prohibeant, ne tentes repositionem, sed potiùs opportunum tempus expecta : adhibe Topica emollientia, ad generalia confuge remedia, ac demùm, ubi paulatim remittent Symptomata, feliciùs tutiùsque usurpabitur uniens fascia, quæ sic instituitur.

Octò partibus constat.

1°. Canali ferreo, proprio pulvinari munito, cui super additur pulvinar complementi quo mollitèr simùl & firmitèr Genu recumbat.

2°. Duobus loris, quâlibet extremitate fibulâ armatis, quæ transversè sub Canali ponuntur, superius aliud, aliud inferius.

3°. Duobus aliis loris, in medio inferiùs pulvinari compactiori, superiùs fibulâ transversâ munitis, quæ supra & infra partes fractas collocantur, quorumque extremitates quatuor fibulis suppositorum Canali lororum inseruntur.

4°. Duabus tæniis unientibus quæ secundùm cruris axim positæ, transversorum lororum fimbriæ alligatæ, se decussant invicem & fibulis transversis deindè inseruntur, ita ut tænia superior inferiori fibulâ, inferior verò superiori constringatur. Hæ ad approximandas partes, lora verò ad coarctandum apparatum inserviunt.

Hujus-ce unientis fasciationis pluriés solerter à celeberrimo actûs Præside adhibitæ, utilitates ac commoda ratio demonstrat, experientia felicissimè confirmavit.

Typis Andreæ-Caroli CAILLEAU, viâ Sancti-Severini, è regione Ecclesiæ. 1775.